

R. K.
427.
2.

X 186 2335

39.
II h
643

שש

EXERCITATIO PHILOLOGICA,
De
MUHAMMEDIS IMPOSTORIS
ALKURANO,

Quam

D. T. O. M. A.

In Incluta ad Albim Academia

PRÆSES

M. AUGUSTUS PFEFFER /

Lavvenburgensis,

Et

RESPONDENS

GERHARDUS BZSCHUSS /

Hildesienfis,

*Placide συμφιλολογέντων συ-
ζητήσαι sistant.*

In Aud. Min. Die 18. Dec. hor. Mat.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII Anno 1661.

No. 27



1000

EXERCITATIO PHILOLOGICA

M. A. M. A.

AKKURAT

D. H. G. M. A.

In Institutum Altes Academiae

M. A. M. A.

RECTOR

CHRISTOPH

Hilberstadt

In die...

...

In die...

...

...

No. 5

...



שׁוּב

PRÆLOQUIUM.

DEformes buccas suos etiam nonnunquam habere basiatores, & nullatam absurda sententiarum portenta dari posse, quæ non quandoque suos inveniant patronos, id Muhammedis impostoris Meccani cento satis superq; testatur. Talia nimirum lycophantaille obtrudit credenda, quæ homini sano ne per somnium quidem in mentem venissent. Et tamen, quod fermè stupendum, impostor non minimam orbis partem in suum pertraxit errorem & hodiernum Musulmannorum, quos vocant, indies augetur numerus. Operæ itaq; pretium facturos nos esse speramus, si pro ingenij nostri modulo abortum hunc in apricum producamus, scriptique ipsius rationem breviter delineemus, Faxit DEUS, ut id fiat feliciter!

TH. I.

ANtequam verò ad reliqua accedamus, Alcorani nomen primò considerandum erit; quod compositum est ex Articulo Arabico **ال**, qui & cum multis alijs vocibus in linguam Hispanicam translatus, & in multis usu tritis vocabulis, qualia sunt *Almanack*, *Algebra*, &c. penes nos mansit, & ex voce **كراة**, *Collectio*, vel etiam *collectio*. Ubi prior notatio nonnullis vel eo nomine arridet, quod Muhammedani suum Alcoranum Scripturæ sacræ exæquent, Judæi verò eandem ex eodem themate **מקראות** appellent. Arabes tamen eruditi omnes posteriorem approbant, & Alcoranum à collectione Suratarum sive capitum, quæ comprehendit, ita dictum volunt, adeò ut Alcoranus illis idem sit, quod Collectanea sive *ευαγγωγὴ* præceptionum divinarum, ceu videre est ex *Erpenio, Not. in Hist. Josephi. L. & Salmasio prolegom in Solinum*. Atq; hinc Suratâ XXV. & alias ap. scriptores **القرآن** *Alphurkan* vocatur, non propterea accuratè loquendo, quod discernat verum à falso, sed quod incertas partes divisus & secundum Muhammedanos distinctis vicibus è cælo demissus sit. Vid. *Fabritius Specim. Arab. p. 46. & Levinus Warnerus*

A 2

ADD.



App. Compendij confess. Mubamm. de fide Christ. p. 7. Nonnunquam tamen *Alfurkan* non Alcoranum, sed traditiones Mosaicas Muhammedi notare demonstrat *Seldenus Proleg. lib. de Successione*, citante Cl. *Hakspanio Ann. ad lib. Nizzachon c. 3. p. 487.*

II. Jam non diu immorabimur recensendis nugacissimis altercationibus Arabum disputantium num Alcoranus creatus an verò increatus sit; videri potest *Hotting. Hist. Orient. l. 2. c. 3. p. 252.* Id apud Muhammedanos in confesso est Alcoranum è coelo demissum fuisse, idq; quadam nocte, quam vocant *noctem potentiae*, & de eâ peculiarem Surata[m] fecit Muhammed numero *xvii.* quam recenset *Fabrit. l. c. p. 47.* Hanc noctem dicunt mille præstare mensibus, eâq; omnia, quæ à DEO petierint, impetrari posse. Quomodo verò antilogiam istam conciliare velint, dum aliàs credunt Gabrielem distinctis vicibus Muhammedi Alcoranum tradidisse ipsiq; dicenda suggestisse, & hîc una aliqua nocte eundem totum è coelo demissum esse asserunt, equidem non apparet; unde in varias partes sese torquet celeberrimus commentatur Alcorani *Beidavius*, referente *Hotting. Biblioth. Orient. pag. 142.*

III. Autor aliàs nugacissimi operis est Muhammed, de cujus vita & moribus prolixè agere impræsentiarum nostri instituti non est; consuli possunt *Abul Faraji Hist. Arabum p. 6. f. Georg. Elmacini Hist. Saracenicæ l. 1. c. 1. Roderici Ximenez Archiepiscopi Tole-tani Hist. Arabum, Job. Galensis Angli peculiaris tractatus &c.* Ut tamen de ipsius libri autoritate constet, sufficiat hic probasse authorem turpissimum Sycophantam fuisse. Sæpissimè ille morbo Epileptico corripiebatur, cujus impetum deinde Prophetica *ἐκ-sύσει* & Archangeli Gabrielis præsentia callidè excusabat. Et hinc in suo Alcorano seipsum vocat *الموتى* storeis involutum, Surata *LXXIV.* quia ne Epilepticus deprehensus apud suos tesseram confringeret, storeis & aliis involucris sese contegere solebat. Vid. *Hotting. Histor. Orient. l. 1. c. 2. p. 10. & Biblioth. Or. p. 135.* De ejusdem v. foedissima libidine & immunditie, ut honestis parcamus auribus, nihil dicemus lectorem remittentes ad *Galensem l. c. c. 6. & 8.*

IV. Quod tamen vulgò refertur eum columbam asvesecis-se,

se, ut ad aures advolans grana ibi recondita legeret, & post ea de Spiritus S. instinctu gloriatum fuisse, id ex Scriptoribus Arabicis probari nequit. Unde *Hugo Grotius*, qui l. 6. de *veritate religionis Christianæ* inter alia Muhammedis miracula etiam columbæ ad aures ejus advolare solitæ meminit, cum à *Pokokio* hac de re consuleretur, se hoc non ex Arabum monumentis, sed ex *Scaligeri notis ad Manilium* habere liberè fassus est, ut refert *Pokokius in notis ad Abul Faraj. p. 136.*

V. Porro non abs re est, quod in vulgus innotuit Muhammedem & Nestorianum quendam vel plures etiam, & Judæum, eundemq; (secundum *Cl. Hakspanium*) Talmudistam vel Pharisæum, non Sadducæum, collaboratores & Præceptores habuisse, cum multa ex horum religione in Alcoranum suum transtulerit. Ipse verò Muhammed licet portenta sua hominibus obtruderet, sigillatim tamen id fecit, nec Alcoranum suum in unum corpus ipse collegit vel in eam formam redegit, quam hodie præ se fert: verum id præstitit quidam *Abubecer*, Muhammedis in fuga socius, uti patet ex *Abul Feda*, cujus verba ex versione *Pokokij* hæc sunt: *Jussit (Abubecer) colligi Alcoranum ex ore hominum, & palmarum folijs, & pellibus, atq; ita scriptum relinqui apud Haphsam Omari filiam, Muhammedis uxorem. Cum autem ad imperium jam euectus Othman varias, quæ ap. homines essent, lectiones videret, exemplaria ex illo, qui penes Haphsam erat, libro transcripta in varias passim regiones mittens reliqua omnia è medio sustulit. Hucusque Abul Feda. Paulò aliter ex Tabarita Elmacinus Hist. Saracen. p. 18. citante Hotting. Biblioth. Orient. p. 106. Et hinc rectè Erpenius in not. ad Hist. Josephi L. b. dicit: Totus Alcoranus congestus & compositus est ex variis schedis domi Muhammedis repertis (quos ille ab Angelo Gabriele diversis temporibus, sibi traditas affirmaverat) ab Abubecro socero & successore ejus, altero imperii illius Numa.*

VI. Jam proximum est, ut de libri ipsius distributione & ordine agamus, ubi prolixi non erimus in recensendis iis distinctionibus, quibus antehac Lectores Alcorani tempore *Hofchasi* (referente *Cl. Gentio in notis ad Rosarium p. 607.*) in triginta duas & deinde in septem partes eundem totum distribuerunt: unde *Musladinus Sadus in Rosario suo Persico p. 329.* (ex edit. *Gentii*, inquit:

Sl



اگر ہون دہتر شیعہ آں ہر بخواتی
جو اشقی الہ باننا نہانی

H. e. *Licet (omnes) septem partes Alcorani memoriter recensere possis,*

Si amore captus fueris, ne Alphabetum quidem noveris.

Sed solliciti tantum erimus de distinctione hodierna Alcorani in capita & Suratas & versiculos.

VII. Moles itaq; Alcorani absq; commentariis (qui nonnunquam in ejusdem exemplaribus addi solent) haud multo minor est mole N. T. & dispescitur in centum & quatuordecim capita, quæ appellantur ^{سورة}, in singulari ^{سورة} *Suraton* vel ^{سورة} *Affourato*, unde ap. Interpretem Latinum corruptè est *Azoam*. De vocis significatione in diversa abeunt. Alii exponunt *Vultum*, sed hi malè ^{سورة} per ^ص legunt. Vox ipsa incorruptè scripta *Gradum* vel *Pensum* notare potest. Nobis probabile videtur, cum Muhammed suas schedulas & coelestes, si Diis Homericis placet, epistolas a seclis suis & discipulis legendas & ediscendas tradiderit, ^{سورة} per *Pensum* seu *Lectiorem* quam commodissimè explicari. Vid. *Erpen. l. c.* Suratarum ordinem & numerum exhibent *Postellus lib. II. de Concord. Orbis p. 125. & Hotting Biblioth. Orient. p. 107. seq.* qui perpetuò uniuscujuscunq; *Suratæ* primum argumentum & peculiare præmium lectoribus promissum adjungit. Hunc verò numerum Interpretes Latini Alcorani majores aliquot *Suratas* in minores secans denario auxit. Primam enim *Præfationis* tantum loco habitam ex secunda confecit primam, secundam, tertiam & quartam; ex tertia, quintam, sextam, & septimam; ex quarta octavam, nonam, decimam & undecimam; ex quinta duodecimam & decimam tertiam; ex sexta deniq; decimam quartam, quintam & sextam, reliquas non immutavit, uti recensetur in *Lexico Arab. Raphelengii Præf. ad Lect.* Et sic illi *Suratæ* sunt CXXIV. nobis CXIV. exque admodum in æquales. Nam secundum *Erpenium l. c.* *Prima octodecim reliquas adæquant; quin secunda quantitate excedit postremas quadraginta: majores enim initio collocatæ sunt, succedentibus paulatim minoribus usq; ad finem libri.*

VIII. Sin-

VIII. Singulis porrò Suratis peculiaria imponuntur nomina vel ab argumento, quod primariò tractatur, vel à voce initiali, vel aliunde petita. Imò una Surata nonnunquam duo vel etiam plura nomina habet. Sic primæ imponunt multa nomina, vocant quippe eam **فاتحة الكتاب** *Apertionem libri*. *Proæmium*, **أم الكتاب** *Matrem seu Principium libri*, item **سورة التوبة** *Suratam Tbesauri*, **سورة الحمد** *Laudis*, **سورة الدعاء** *Precationis*, **سورة الشكر والثناء** *Gratiarum actionis & Invocationis*, **سورة الشفاء** *Medicina*, Item **سورة التاني** *à septem*, quos continet, *versiculis*. Vid. *Hotting. l. c. p. 107.*

IX. Suratæ omnes incipiunt à solenni formula **بسم الله الرحمن الرحيم** *In nomine DEI Miseratoris misericordis*, quam nomine ex duabus primis ejus vocibus composito vocant **اليسم** *Albismilla*, ut habet *Erpen. l. c. L. 6.* Una tamen Surata est, quæ hac præfatione caret, nim. *Nona* **سورة التوبة** *Surata Pœnitentiæ* dicta, idque propterea, quia eâ Muhammed foederi hostium renunciat, ubi pacis & salutis formulæ locum dare noluit. Vid. *Hotting. l. c. p. 111.* In hac formulâ autem innumera quærunt mysteria, ita ut nullius operis felicem successum esse posse putent, nisi præsentî formula inchoetur. Atque adeò superstitiosè vinculum **س** & **م** in prima voce, quàm possunt, longissimè protrahunt, cum aliàs succinctè scribi possit **بسم**.

X. Dividuntur Suratæ in *Meccenses & Medinenses*, à loco nimirum, ubi compositæ vel, si Muhammedi credimus, à Gabriele dictatæ sunt. Quæ Meccæ, ubi impostoris patria, inventæ, Meccenses dicuntur: cum verò Meccâ idem ob sua dogmata & **Φοβητὰ ἀνθρώπων** expelleretur, recepit se Jazribam oppidulum decem dierum itinere Meccâ distans, ubi cum gaudio exceptus imperii sui sedem collocavit, & hinc prædictum oppidulum **مدينة النبي** *Medinata nabi* s. *Civitas Prophetæ* posteaq; absolutè & **κατ' ἐξοχήν** *Medina* dictum fuit. Ab hac fuga hodiernum Arabes denominant Epocham suam *Hegjeræ* vel **هجرة** cum antea Epochâ Elephanti & aliis uterentur. Vid. hîc *Abul Farajus l. c. p. 8. & Pokok. Ann. ad Eun. Asm p.*

في
 →
 in
 on-
 mi-
 ca-
 vel
 e est
 po-
 fa-
 ro-
 Diis
 s &
 am
 nem
 &
 inq;
 bus
 nus
 au-
 da-
 و
 eci-
 erti-
 reli-
 ngii
 que
 eo-
 fre-
 ibus
 Sir-



dem p. 173. & 63. Ulug Beigus, Tatarus, de Epochis Orientalium, li-
bro Persico, ex edit. Cl. Gravij p. 8. Hotting. Hist. Orient. p. 160. seq.
Gentius Not. ad Rosarium p. 617. &c. Magnæ verò dissensiones
sunt inter Arabes, quænam Surata Meccenses & quænam Medi-
nenses sint, unde sæpenumerò res in medio relinquitur; unius
etiam nonnunquam Surata vel dimidium vel unicus versiculus
Medinensis est, reliqui Meccenses & contra.

XI. Unaquæq; deniq; Surata per Versiculos, quos Arabi-
cè آيات vocant (quasi signa dicas) distingvitur. Illi tamen
inæqualiter dispertiti sunt, cum quædam Surata ultra centum,
alia vix tres vel quatuor conjineant versiculos. Latinus Inter-
pres Corani nonnisi post decimum quemque versum distinctio-
nem adhibet, ad scripta litera P. Quod inde natum existimat Er-
penius, quod Arabes Alcoranum in majores secantes particulas
decimo quoque versu adhibeant literarum ط quæ initialis est
vocis ط Decem. Quare verò Interpres Latinus P. ele-
gerit, non liquet. Erpenii conjecturam, cum nim. hoc ipso E-
bræos legis Paraschas vel sectiones per ט exprimentes imitari
voluisse, non omninò improbamus. Probabilior tamen videtur
sententia Seldeni de Diis Syris p. 135. P ex Arabico ط corruptum
esse, cum insuper producat figuram ex Exemplari pervetusto
MSS. quam ex ط corruptam esse facilè apparet. Sed res est non
magni momenti. Vid. Cl. Hotting. Biblioth. Orient. p. 154. Cæ-
terùm de ipsorum versuum numero nil ferè certi constat ap. Ara-
bes, sed codices hic valdè variant. Imò testatur Cl. Golius se
nullum Alcorani exemplar vidisse ubi Suratarum commata ad-
scriptis suis numeris sint distincta. Et hinc certò sciri nequit,
quot sint versiculi in Alcorano, uti patet ex inconstantissima
computatione illa, quam Hotting. ex MSS. Arabico Thes. Philol.
l. i. c. 3. p. 414. profert: Numerus versuum Alcorani in Exemplari
Medinensi priori 6000. In Medinensi altero 6216. In Meccensi 6219. Et
in Cufensi 6236. & in Bazorensi 6216. Et in Schamiensi vel Syriaco
6226 Et in Ravamatensi 6620. Quod verò postea subjicitur voces
Alcorani esse 77639. & literas ejusdem 323015. id certò sciri
pötest.

XII. Jam ad stylum Alcorani pergimus. Conscriptus est hic
lingvâ

lingvâ Arabicâ, quæ antehac ita floruit atq; luxuriavit, ut animalium quorundam Synonyma sæpe ad millena, sæpe ad centena aliquot excrescerent. Vid. *Pokok. l. c. p. 153.* De styli verò elegantia mirum dictu est, quàm Thraſonicè gloriatur Pseudopropheta. Provocat ille Sur. XVII. non tantum homines quosvis, sed & ipsos Dæmones, ut in arenam secum descendant, & si queant, componant scriptum Corano simile. Imò vel facundissimos non posse unicam Suratam proferre, si vel omnem suam conferant suppellectilem, clamat Sur. II. & c. Verba ipsa vide sis ap. *Hotting. Hist. Orient. l. 2. c. 5. p. 300.* Muhammedani verò hoc pro summo & certissimo miraculo venditant, quod Muhammed, cum idiota esset eruditionis omnis expertus, talia scripserit, quæ viri eloquentissimi ejus temporis licet non semel provocati imitari tamen non potuerunt. Vid. *Abul Farajus p. 17. Ahmed ben Edris p. 193.* citante *Hotting l. c.* Imò quidam *Isa* cognomento *Merdad*, propterea ab Abul Farajo inter sectarios ponitur *p. 21.* quod statuerit potuisse quidem aliquid simile proferri, sed Deum id, quo minus fieret, prohibuisse. Sed ne quid nimis. Stylum Alcoranicum ad analogiam Grammaticam accuratissimè exactum esse, non imus inficias. Rectè *Erpenius l. c. k. 4. Ea* (lex Muhammedis) *licet futilis sit, inepta, mendaciis referta, nulloq; sensus acumine aut argumentorum pondere, quod vel leviter hominem Christianum movere possit, instructa, tantâ tamen est sermonis puritate, tam accurata analogiâ & scripturæ perfectione expressa, ut meritò iis norma Grammaticæ constituatur.* Num tamen ipse Muhammed, an verò Alcorani collector Abubecrus ad hanc analogiam scriptum nugacissimum exegerit, de eo adhuc sub judice lis est. Quod docti ejus temporis non potuerint simile quid elaborare, id dicitur tantum. Potuerunt id utique, sed à diabolo effascinati cum Muhammede contendere noluerunt, tum etiam Muhammed, utut meliora videns, sibi ipsi tamen Suffenus fuit: adde quod Muhammedis asseclæ aliorum scripta non æque æstimarint atq; fovierint & quod impostor plerumque aliorum plumis se ornarit. Et certè si quis scripti hujus intricatissimos sensus, & ineptissimos nexus consideret, sententiam suam de tantâ elegantia illicò abjiciet.

540

XIII. Stylus porro totus rythmicus est; licet rythmus supra modum affectatus & plerumque claudus sit. Metricus tamen non est, ut benè notat *Jos. Scaliger Animadv. ad Chronolog. Eusebii p. 7.* Non enim quod vulgò persuasum video, Alcoranus constat ullo genere metrorum, non magis quàm Epistola Ciceronis: sed ibi cola finiuntur, ubi similis desinentia est, etiamsi sit maxima membrorum inequalitas; quæ scias ibi terminari, ubi flosculi auro aut minio picti videntur: qui nihil aliud sunt, quàm signa similium desinentiarum. Exemplum hujus styli monstrat *Fabritius l. c. p. 167. 168.* Apparet inde à verò aberrasse quendam *F. Richardum Ord. Præd.* cujus *confutatio Alcorani* Germanicè habetur ap. *Lutherum* *Tom. 8. Jen. Germ.* quando c. 4. f. 16. dicit: **Der Alcoran helt nicht die weise zu reden / wie andere heilige Schrifften / denn er ist durchaus auff reimweise oder Poetisch gestellet / wie man die Lieder zu singen machet.** Rythmos qualescunque agnoscimus, sed nihil artis metricæ.

XIV. Porro ad materiam, circa quam versatur Alcoranus, progrediendum erit; ubi sciendum, Impostoris scriptum non pertractare aliquid certi, constanti & uniformi methodo, sed centonem esse, multarumq; & variarum materierum colluviem. Singularum Suratarum argumenta *Cl. Hotting. Bibl. Orient. à. p. 107. ad 150.* ordine recensuit. Nos hic breviores ducemus lineas, primò res præcipuas, de quibus Coranus agit, recensentes, deinde quid de Christiana religione ejus author sentiat & tandem unde idem pleraq; corraferit, indicantes.

XV. Adducit itaq; primò Muhammed in suo centone passim res & Historias V. & N. T. sed miserrimè interpolatas, dum subinde inspergit aniles nugas atque fabulas, veræq; historiae quamplurima falsa assuit & ipsa nomina turpiter detorquet atque corrumpit. Sic Cainum & Abelem vocat *Kabel & Abel*, Enochum *Edris*, Jethronem *Schoaib*, Goliathum & Saulem *Galuth & Taluth*, Eberum *Hud*, unde & Judæos *Sur. II. 109* — *Hudeos* i. e. Ebræos appellat. Vid. *Hotting. Hist. Orient. p. 19.* Omnes verò ineptias, quas veris historiis assuit, recensere atq; enumerare nec notari institui est nec operæ pretium. Videri hic potest, *Johannes Andreas*

Andreas, Scriptor Hispanus, cujus tractatus *de Confusione Secta Machometana à Dominico de Gaztelu Italicè translatus est, Cap. 4. p. 23. & c. 5. p. 31.* Præcipua saltem capita eorum, quæ Sycophanta tractat, perstringemus. Agit ille de Adamo *Sur. 18.* de Caino fraticida *Sur. 15.* de Enocho, qui ipsi Edris *Sur. 19. & 21.* de Noacho passim (Vid. *Hott. l. c. p. 24*) de Ebero, sub Hudi nomine *Sur. 11. & 26.* de Abrahamo passim (*Hott. l. c. 34.*) & hunc nec Christianum nec Judæum, sed Musulmannum fuisse, imò & templi Mecani fundamenta posuisse statuit (*Hott. l. c. & Hakspan l. c. p. 237.*) De Loto *Sur. 26. & 27.* de Isaaco *Sur. 36.* de Ismaële, quem Prophetis & Patriarchis annumerat (*Hakspan l. c. Hotting. l. c. p. 39.*) de Josepho *Sur. 12.* quæ & Josephi dicta atq; ab Erpenio edita est, de Mose sæpissimè (*Hotting. l. c. p. 52*) de Pharaone *Sur. 20. 54. & 79.* de Jethrone *Sur. 26.* de Josua *Sur. 18.* de Davide *Sur. 24. & 37.* de Saule *Sur. 2.* de Salomone, cujus historiam cum primis multis defœdat commentis, qualia sunt, *ablegatio upupæ ad reginam Saba, opera demonum in edificando templo Salomoneo, &c.* (Vid. *Hotting. l. c. p. 66.* *Brianus Waltonus Prolegom. in Biblia Polyglotta Prol. 1. n. 5. Job. Andr. l. c. c. 5.*) de Elia *Sur. 18.* de Jobo *Sur. 38.* de Jonâ & Ninevitis *Sur. 10.* quæ & *ابو-وتيس* s. Jonæ dicitur, de Zachariâ & Johanne *Sur. 21.* de Maria Virgine, quam absurdissimè Amrami filiam & Aaronis sororem facit. *Sur. 3. 19.* quæ & *مريم* s. Mariæ inscribitur & 21. de Gog & Magog *Sur. 21.* de vacca rufa Num. 19. *Sur. 2. & 3.* s. Vaccæ vocatâ, Consuli hic potest sæpe laudatus *Hottingerus Hist. Orient. l. 1. c. 3. de Genealogia Muhammedis & Biblioth. Orient. in recensione Alkorani.*

XVI. Præterea verò sententiam suam exponit Pseudopropheta de DEO *Sur. 42.* & imprimis *Sur. 112.* quam capropter *السلامة* s. *Salutis Suratum* inscribit, de DEI providentia *Sur. 13. & 80.* de Creatione *Sur. 23. & 59.* de Angelis *Sur. 35.* De matrimonio & divortiis *Sur. 4. & 65.* de resurrectione mortuorum *Sur. 23. 50. 56. 78. 86.* de staru post hanc vitam *Sur. 18. 76. 82. 88. & c.* de die novissimo & ultimo judicio sæpissimè omnium, in viginti quippe circiter Suratis agit. Nonnunquam etiam disputat & calamum contra adversarios stringit, ut *Sur. 43.* contra Koreischitas DEO filias tribuentes, contra Apostatas *Sur. 47.* contra Arabes sui

fu-
ta-
log.
con-
l ibi
bro-
inio
tia-
168.
rad.
n h
helt
ten/
ge
mos
nus,
non
fed
riem.
à. p-
neas,
dein-
n un-
e pas-
dum
toriae
atque
ochū
alut h,
Ebræ.
ine-
ec no-
hannes
ndreas



temporis sibi infensos *Sur.* 48. contra Judæos *Sur.* 62. Sæpe & mo-
ralia tradit, quibus tamen recensendis diutius jam non immo-
rabimur.

XVII. Et ut finem salebrosæ huic materiæ imponamus,
præter præcedentia Nugator Meccanus agit de apparitionibus
Archangeli Gabrielis sibi factis *Sur.* 53. 94. de dæmonibus lectio-
nem Alcorani attentè auscultantibus *Sur.* 72. de restituenda sibi
Meccâ, qua expulsus erat *Sur.* 110. de excidio Romæ seu expugnan-
do Romano Imperio *Sur.* 30. de die Veneris, quem Turcæ ferian-
tur, ut nos Dominicum (qua de re vid. *Pokok l. c. p. 313. Levinus
Warn. l. c. p. 27. Georg. Doufa Ep. de itinere suo Constantinop. p. 33.
Fabritius l. c. p. 16. & c.*) *Sur.* 62. de ferro quodam coelitus delapso
Sur. 57. de septem dormitoribus, *Sur.* 18. quæ dicitur propterea
الـكـة f. *Spelunca*; de quodam Locmanno, quem Hot-
tingerus Æsopum fuisse existimat & aliquot argumentis probat
Hist. Orient. p. 68 f. integra Surata 31. ab eodæm denominata, de
apibus & melle *Sur.* 16. de formicis caventibus ne à Salomone
conculcarentur *Sur.* 27. الفـمـة f. *Formicæ* dicta; & quis omnia
recenseret? Facile erit ex ungue, quod dicitur, Leonem agno-
scere.

XVIII. Breviter tantùm explicandum, quid potissimum de
Christo & religione Christiana Muhammed in Alcorano habeat.
Salvatorem nostrum pro DEO quidem non agnoscit nec verè
mortuum vel crucifixum esse statuit (ut videre est ex *Surata* 4.
verbis citatis à *L'Empereur. not. ad Mosès Kimchii Gramm. 138. & ex
Warnero l. c. p. 8. & 32.*) inter alia tamen insigne hoc ei tribuit e-
logium *Sur.* 3. five *يا مريم ان الله يبشرك: ال عمران*
كلمة منه اسوة الهنبيك عيسى ابن
مريم وجيها في الدنيا والآخرة

O Maria DEUS tibi annunciat verbum suum, cujus nomen Christus Je-
sus Filius Mariae: illustris ille erit in hac & in altera vita. (Quo sensu
Christum الله كـلمـة dicat, de eo consule *Warne-
rum l. c. p. 15. & Havemannum Theogn. antiquiss. Prol. S. 9. B. 8.*) Nec
aliter hodie Muhammedani. Imò refert ex *Johanne Cotovicio
Cl. Haksfan*, si quando contingat Judæum ad Muhammedismū
transire:

transire, eum non admitti, nisi confiteatur Christum Mariæ filium esse verum Messiam Patribus promissum & à Prophetis prænunciatum, *l.c. p. 396.*

XIX. Scripturam S. V. & N. T. corruptam esse clamat quidem Muhammed *Sur. IV.* & alibi, eam pro verbo DEI tamen agnoscit, multas historias ex ea allegat, ut per varia assumpta interpolatas, hodieq; Muhammedani non solo Alcorano contenti sunt, sed etiam ex SSA. testimonia producere satagunt, id quod *Cl. Hakspan. l. c. p. 297. seq.* ex Epistola cujusdam Arabis probat. Christianos interim à vita æterna ob Muhammedis contemptum excludunt. Vid. *Warnerus l. c. p. 87.* Qui verò adversus Impostoris hujus commenta, blasphemias & absurda mendacia antidotum quoddam desiderat, is consulere potest *Fr. Richardi Confutationem Alcorani, Johannis Andreae confusionem sectæ Muhammedanæ, Galensis Angli tract. de Muhammedis vita & doctrina, Widmenstadii notas ad Theologiam Muhammedis & Alcorani Epitomen, Phil. Guadagnoli Apologiam pro Christiana religione contra Ahmed Persam,* quo libro se contra Muhammedistas meliorem non vidisse nec à se eundem in citandis scriptoribus unquam falsum deprehensum fuisse testatur *Cl. Hakspan. l. c. p. 343.*

XX. Sed cum ad alia properandum sit, brevissimè tantum dicemus, unde præcipuè Muhammed sua desumserit. Præterea itaque, quæ Sycophanta ex suo ingenio confinxit, ex Scriptura S. eum multa desumpsisse, licet hoc dissimulare voluerit, dum ita historias allegavit, ut semper vel in persona, vel in re, vel in nomine, vel in tempore error sit, ne videretur quicquã ex SSA. mutuasse vel compilasse & non omnia immediatè à Gabriele accepisse, satis tamen superq; constat ex *Tb. 15.* A Judæis & Christianis eum non pauca itidem accepta in suum convertisse usum, & quædam in utrorumque gratiam, ut omnes alliceret, retinuisse, cum eruditè demonstrarit *Cl. Hakspan. l. c. p. 245. 265. 342. 489. & alibi,* in re plana non admodum laborabimus.

XXI. Ut hoc tantum in transcurso notemus, bellè conveniunt in eo Judæi Thalmudistæ & Muhammed, quod & illi & hic non tantum ipsi per creaturas jurant, sed & ipsum DEUM per easdem jurantem introducunt. De Judæis vid. *Buxtorf. Lex. Thalm.*

p. 2441. & Hakspan l.c. p. 262. De Muhammedo itidem certa res est. Ille enim & ipse jurat & Deum jurantem introducit per ventos, montes, stellas, angelos, signa Zodiaci, auroram, Solem, noctem, ficum, equos, imò quod ridiculum, per calamum & literas ω atq; ω . Videantur *Surata* 51. 52. 53. 79. 85. 89. 91. 92. 95. 100. 103. 58. 50. Et conf. *Hotting. Biblioth. Orient. p. 141.* & alibi passim, nec non *Hakspanius l. c.*

XXII. Sed de his satis. De autoritate Alcorani ap. Muhammedanos quædam sunt addenda. Ubi vix dici potest, quàm superstitiosè illi scriptum æterna oblivione dignissimum venerentur. Ita nim. scribit *Bartholom. Georgiewiz de Turcarum moribus libello Lugduni 1567. edito p. 24.* Tantam reverentiam Turcæ Machometi traditionibus & statutis præstant, ut non solùm DEUM (quod nostris plerumq; accidere solet) non blasphemant; imò schedam quomodocumq; scriptam in terra jacentem si repererint, erectam & sapius deosculatam in rimam parietis positam obstruunt: dicunt peccatum esse, si literæ, quibus nomen DEI & lex Machometi describitur, pedibus conculcentur. Et nemo audet Christiano vel alterius fidei vel religionis homini vendere Alcoranum, aut alia eorum scripta, ne abjecta palpentur pedibus vel immundis manibus contrectentur, alioquin capitis pœna plecterentur. (Conf. *Hotting. Hist. Orient. p. 313.*) Ipsi etiam Alcoranum nisi probè loti non legunt, unde ne quis hic imprudens peccet, anteriori libri parti in medio inscribi solent hæc verba, ex ipso Alcorano, ejus nim. *Surata LVI. petita:* $\text{بسم الله الرحمن الرحيم}$ Non tangat eum, nisi mundus. Vid. hic *Schikardus de Jure reg. p. 51.* *Erpenius l.c. L. Leusdenius Phil. Ebr. disp. 1. p. 4* & cum primis *Ch. Goltius ad Gramm. Erpenii p. 184.* & *Hotting. Biblioth. Orient. p. 158.* Et hoc propterea, quod miseri homines nihil sanctius suo Alcorano in toto terrarum orbe dari posse certò certius persuasi sunt.

XXIII. Et cum nullum tempus utilius collocari posse arbitrentur, quàm quod Alcorano impenditur, diligentissimè eundem lectitare solent. Unde de quodam, cui nomen *Abu Hanifah Al Nooman*, narratur, eum in carcere, in quem, quod Judicis munere fungi nollet, conjectus erat & per aliquot annos ad finem usq; vitæ suæ ibidem degebat, Alcoranum perlegisse septies milles referente *Pekokio notis ad Abul Farajum p. 298.*

XXIV

XXIV. Nefas quoq; iis esset, & summum piaculum Alcora-
 num quocunq; modo vel prætextu in dubium vocare. De sensu
 tamen variis sæpe modis inter eos disceptatur, ut fusius demon-
 monstrari posset, si de Commentariis Alcorani agere vellemus.
 Cum enim in Alcorano multa contineantur omninò absurda,
 veluti de Paradisi fluvio & deliciis, itemque puellis candidis, qua-
 rum singulis Paradisi incolis vel greges totos adsignat, qui ex Ara-
 bib9 emunctioris nasi sunt, talia allegoriis excusare student, ut de
 Ahmede Persa, quem Gvadagnolus refutavit, *Cl. Haksp* refert *l. c.*
p. 348. Alii verò brutum assensum & obsequiū Muhammedi præ-
 stant nechilum à proprio sensu discedentes, licet vel supera inferis
 misceantur; & certè ab *Al Gazalio* præcipuæ notæ ap. Arabes
 scriptore, qui autor est confessionis fidei orthodoxæ Musulman-
 nicæ, qui allegorias quærunt, pro hæreticis habentur. Vid. *Poko-*
kius l. c. p. 292. & conf. p. 227 f.

XXV. Imò Omarus Imperator sub initium Muhamme-
 dismi, ne Coranus in dubium facile vocari posset callidè cavit.
 Cum enim omnia in eo creditu & scitu necessaria contineri dice-
 ret, reliquos omnes libros Philosophicos vel alios ex Bibliothecis
 regiis conquisitos in balnea comburendos distribui jussit, quibus
 calefaciendis per integrum semestre infervierunt, narrante eo-
 dem *Pocokio l. c. 165.*

XXVI. Præ aliis autem prima Surata in magno ap. Muham-
 medanos est pretio: eam enim in Meschitis suis vel templis ple-
 rumque orant, estque illa ipsis ita usitata & familiaris, ut nobis o-
 ratio dominica. Vid. hic *Excellentiss. atq; Ampliss. Dn. Senner-*
tus, Præceptor & Fautor noster æternùm venerandus, qui hanc Su-
ratam Prov. Arabicis à se editis annexuit, & Fabrit. l. c.
pag. 16.

XXVII. Alcorani deniq; variæ hæctenus editæ sunt versio-
 nis, in quarum tamen nulla curiosus & veritatis studiosus Lector
 acquiescere potest. *Latine* Alcorani versiones duæ sunt, *antiqua*
 una, altera *recentior.* De priori ita *Erpenius l. c. pref. in vers. anti-*
quam: Jam anni fermè quingenti sunt, quod auspiciis Abbatis Cluni-
acensis, in Hispania, tota Muhammedanorum lex, Alcoranus, ex Ara-
bico in Latinum versa fuit à Roberto Resinensi Anglo, & Hermanno
Dal-

st.
os,
n,
q;
Et
sk-
u-
am
ne-
bus
ho-
rie
do-
eo-
e,
bus
io-
al-
itis
am
ru-
er-
y
rdus
m-
Ori-
tius
per-
ar-
un-
ifab
mu-
nem
illi-
KIV

94
115
643

Dalmata, quæ versio Basileæ ab Oporino excusata, non immeritò à viris eruditis culpatur, tanquam parum accurata & extra manifestas historias, veram Arabismi sententiam satis rarò fideliter exprimens. Italica versio etiam extat, ex antiqua Latina translata, adeoq; si illà non peior, nec hilo certè melior erit. Gallicam Ryeri Hottingerus subinde citat & interdum refutat. Germanicam vulgavit Schveigerus, ut videre est ex *Micrelis Synt. Hist. Eccles. l. 3. p. m. 1542.* Quo vero docti æquè ac indocti nugas Muhammedis legere & detestari possent, optandum sanè esset, ut aliquando versio accuratè ex Arabismo expressa prodiret, quod viri quidam Clarissimi tamdiu promiserunt.


XXVIII. Turcæ Alcoranum in suam lingvã uon convertunt sed lingvã Arabicã ad ejus intelligentiam sibi perquam familiarem reddunt. Hinc *Erpenius rectè Orat. de ling. Arabica præstantia: Curant pleriq; (Muhammedani) liberos suos literis Arabicis imbui, quò non Alcoranum modo, quem legere omnes tenentur, sed & alia scripta tùm publicã, tùm privatã intelligant.* Persæ tamen quì ob quædam in religione discrimina à Turcis pro hæreticis habentur, Alcoranum in suam lingvã vertunt, unde non credendum est simpliciter, quod *Gabriel Sionita de urbibus & mor. Orient. p. 70. Alcoranum nulla alia lingua, excepta Arabica, reperiri ait.* Vid. *Hotting. Hist. Orient. p. 313.*

XXIX. Jam etiam quædam annectenda essent de notis marginalibus Alcorani, quæ circa varias vocalium lectiones plerumq; sunt; itemq; de quatuordecim voculis mysticis, quas vocant, in capitum initiis nonnunquam occurrentibus, sed de his, cum nos brevitati studeamus, vid. *Erpen. l. c. l. 4. Cl. Hotting. Biblioth. Orient. p. 151. f.*

XXX. Et hæc de Alcorano. Præter eum Arabes venerantur etiam traditiones Muhammedis orales, quas vocant *Suna* vel *Affona*; Verum harum tractatio peculiaris rem requireret operam. Vid. *Hotting. l. c. p. 163. 210. Gentius l. c. p. 578. Abul Farajus p. 26. & Pokokius in notis ad eundem p. 298.* Nos pro hisce decernimus

SOLI DEO GLORIAM.

1017



B.I.G.

Farbkarte #13

X 186 2335

II h
643

EXERCITATIO PHILOLOGICA,
De
MUHAMMEDIS IMPOSTORIS
ALKURANO,

Quam
D. T. O. M. A.

In Incluta ad Albim Academia
P R Æ S E S

M. AUGUSTUS PFEIFFER/
Lavvenburgensis,

Et
RESPONDENS
GERHARDUS BESCHLOSS/
Hildesienfis,

*Placide συμφιλολογέντων συ-
ζητήσαι sistant.*

In Aud. Min. Die 18. Dec. hor. Mat.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINGELII Anno 1661.

No. 27

